BEDA VENERABILIS. HONORIUS AUGUSTODUNENSIS. VERSUS

Zwettl, Ende 12. Jh.

Seite 148r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31712
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

capta. Hec ab illa captiuitate quatuor
modis ad christum reuertitur. scilicet per penitenti-
am. per confessionem. per bonam operationem.
per bonam exhortationem. Oportet enim ut
peccator imprimis penitendo defleat pe-
ccata. deinde ad sacerdotes confitendo confu-
giat. deinde bene operando satisfaciat.
postremo alios exhortando ad conuersio-
nem pertrahat. Vel quatuor modis anima re-
dit. dum quatuor uirtutes principales
arripit. Tales alii ad imitandum intu-
entur. dum relicto seculo. claustrum mun-
do mortui ingrediuntur. Huius subitam
conuersionem dum quisque secularis miratur. a spiritualibus
ei dicitur. Quid uidebis in sunamite. nisi cho-
ros castrorum. hoc est in anima prius inuentus
captiua. sed nunc ad uirtutes conuersa. non
uidebis amplius nisi laudem dei. et pugnam
contra insidias diaboli. Conuersi quippe semper
dominum pro sua saluatione laudant. et iu-
giter contra uitia pugnant. Sed et in cla-
ustris sunt uere chori castrorum. quia incho-
ris deo iubilant. et in claustris. quasi in
castris contra demones militant. Et quia
anima habet sua membra congrua. singula lau-
dant a christo propria officia. Quam pulcri
sunt gressus tui in calciamentis filia principis.
Anima que erat filia principis dia-
boli. quando ab eo captiua erat. nunc per con-
uersionem. facta est filia principis christi.
Huius gressus sunt quatuor affectus. scilicet concu-
piscentia. timor. gaudium. dolor. qui
eam portant ad opera. sicut pedes corpus
portant ad loca. Hi pulcri sunt in calciamen-
tis. dum secundum exempla patrum. uir-
tutes uel uitam eternam concupiscunt. pecca
uel gehennam timent. gaudent de bonis.
dolent de malis. Vel gressus anime. sunt cogita-
tiones. per quas graditur ad actiones.
Iunctura feminum tuorum sicut moni-
lia. Femora anime. sunt timor et amor per
que gignit bonum opus. quod est spiritualis
proles. que erit regni heres. Per ti-
morem quippe declinat a malo. per a-
morem facit bonum. Horum iunctura
est fides. qua credit supplicium quod
timet. et credit gaudium quod amat.
Hec iunctura est sicut monile. quia sicut
monile pectus ornat et munit. ita fides
animam ornat et munit. Hec est artificis
manu facta. quia fides per christum est da-
ta. Umbilicus tuus sicut crater torna-
tilis. numquam indigens poculis.
Umbilicus anime temperantia. quia sicut
umbilicus est medius inter superiora et in-
feriora membra. ita est temperantia.
inter uirtutes et uitia media. Que est
sicut crater tornatilis plenus poculis.
quia est circumspectione rotunda.
et sapientia fecunda. Et sicut potus sitim
temperat. et cor letificat. sic tempe-
rantia ardorem uitiorum restringit.
et inmoderatum feruorem uirtutum
reprimit. Venter tuus sicut aceruus tri-
tici. uallatus liliis. Venter anime est
memoria. in qua recondit cibos sacre
scripture. Qui similis est aceruo tritici.
quia sicut in aceruo grana cumulantur.
ita in memoria multe sententie
et imaginationes coaceruantur. Que
liliis uallantur. quia mundis cogi-
tationibus stipantur. Duo ubera tua. sicut